

MCCCCLXXXVII. Hoc & sequenti anno Comes Borellus Ticinensis Præturam egit civitatis Alexandriæ.

MCCCCLXXXIX. Johannes Jacobus Ghilinus cum fratribus suis a secretis Johannis Galeatii Sfortiæ Mediolani Ducis hoc anno in Frascheta ædes construxit, ut illam melius excoleret, qua de causa immunitatem die vigesimo mensis augusti ejus agri gratis obtinuit.

MCCCCXC. Petrus Tortus juris utriusque Doctor a Castro-Novo Præturam egit civitatis, & tunc temporis construitur domus vectigalis mercaturæ, quæ nunc penitus non extant; at eodem anno Johannes Castilioneus civis Mediolanensis sufficitur. Eodem anno die quinto mensis junii Johannes Galeatius Sfortia Mediolani Dux, Albertum Feruffinum Philippi filium inter secretarios adscivit in demortui Patris locum in Cancellaria Magistratus reddituum ordinariorum maxima cum verborum honorificentia. Dicitur enim in diplomate multos ex hac familia equestri dignitate, multosque Senatoria floruisse, quam plures Secretarios arcana Principum tractasse. Eodem anno die decimo novembris Augustinus Collus Protonotarius Apostolicus creatur, & eodem quoque anno Bernardinus de Curte commissarium egit Alexandriæ, qui plures vias, & in civitate, & in Quarterio Bergolii sterni curavit, in pontemque Tanari quædam innovavit.

MCCCCXCI. Die septimo mensis julii Johannes Galeatius Sfortia declaravit, re percepta, & examinata de consilio jurisperitorum, Alexandrinos non teneri ad solutionem vectigalis, quod Montiscastelli exigitur.

MCCCCXCIV. Die vigesimo mensis octobris Johannes Galeatius Sfortia Mediolani Dux diem suum clausit extremum, relicto post se Francisco secundo ejus filio annorum quatuor. Eodem anno cum Ludovicus Sfortia Patruus Francisci II. Mediolani Ducis recuperare vellet Novariam civitatem a Gallis obsessam, Alexandriam, & Derthonam duo mille milites in hyberna transmittit, qui per dies multos ibidem commorati sunt. Eodem quoque anno Raphael Guastamiglia Viglevanensis Præturam egit civitatis nostræ.

MCCCCXCV. Cum Ludovicus Sfortia investituram Ducalem a Maximiliano Imperatore obtinisset, tandem in die s. Theodori martyris Ducalibus insigniis ornatur, maximo cum totius civitatis, & domini gaudio, & applausu.

MCCCCXCVI. Johannes Jacobus Cotta Mediolanensis Ducalis Secretarius, Commissarius Alexandriæ declaratur, & creatur.

MCCCCXCVII. Carolus VIII. Galliarum Rex in Italiam proficiscitur, ut Neapolim obsideret, quam mox cepit; dein non multo post moritur, Regnumque ejus pervenit in Ludovicum Ducem Aurelianensem. Eodem anno quatuor arcus pontis Tanari ob maximas fluminis inundationes concussi, atque prostrati, reficiuntur maxima cum impensa civitatis, & aliorum oppidorum; domusque Boidorum versus Annuntiatam comburuntur. Eodem quoque anno die duodecimo mensis augusti Cæsar

Guascus a Ludovico Sfortia ob ejus prudentiam, rerumque tractandarum experientiam, in Senatorem Mediolani adsciscitur, ob multas virtutes ejus, maxima cum nominis sui, & gentis præfatione.

MCCCCXCVIII. Lucius Malvetius Bononiensis Commissarium Alexandriæ egit.

MCCCCXCIX. De mense augusti Johannes Jacobus Triultius Mediolanensis, vir in re bellica primi nominis, maximo cum exercitu Alexandriam obsedit, ad portamque Marengi bombardas posuit, & maximam muri partem diruit. Eodem anno Ludovicus XII. Gallorum Rex, dum Mediolani dominium recuperare vult, eo quia ad eum spectaret ob Valentiam ejus aviam, filiamque Johannis Galeatii Vicecomitis primi Ducis Mediolani, præmittit aliquos belli Duces, & in suam potestatem redigit Alexandriam, Annono, Rochetta, & Valentia prius debellatis. Dum Johannes Adurnus Genuensis, peditum Dux a Ludovico Sfortia Duce delectus, gregarios milites duo milia in unum cogit, ut subsidio essent Alexandrinis, ipsa capitur. Alexandriæ aderat tunc temporis pro Ludovico Sfortia Galeatius Vicecomes. Huic ut subsidio esset Johannes Franciscus San-Severinus frater Galeatii, Alexandriam ponte tumultuarie facto ad Padum accurrere fingebat. Verum is Galeatius beneficiorum in se per Ducem collatorum immemor ulterius progredi noluit, qua re patefacta, idem Galeatius San-Severinus animo territus ulterius obsidionem ferre noluit; Ludovicusque ipse, qui metiebatur ejus fidem ex fide Johannis Francisci fratris, jam certiore reddiderat Galeatium, ut ab Alexandria recederet, quamquam fama sit Johannem Franciscum fratrem hujusmodi literas falso confinxisse, ut fratrem deciperet, quandoquidem illum odio prosequeretur, maxime quod Ludovicus Sfortia summam rerum militarium Galeatio detulerat, cum ipse haberetur longe præstantior rebus bellicis, & ætate etiam Galeatium præcederet. Accedebat quod Galli maxima tormentorum vi mœnia civitatis prostraverant. Aderant in civitate pro Ludovico Sfortia mille catafracti, totidem velites, & tria milia peditum, quare Galeatius civitate relicta Mediolanum proficiscitur cum nullo hominum hoc collato consilio, quem paulo post insequitur Hermes filius illegitimus Galeatii Sfortiæ cum aliquibus aliis primi nominis; reliqui vero, cum fugam Ducum suorum prospexissent, huc illuc palantes fugiebant, & plures eorum spoliantur a latronibus; aliqui ab inimicis capiuntur. Alexandria misere diripitur, & pars aliqua incendio absumitur: omnia divina, & humana miscentur, qua clade accepta statim Ludovicus Sfortia, ut prudens erat, vocem emisit se Mediolanense imperium amisisse, fugæque se accingebat, quam postea in Germaniam fecit.

MD. Cum Ludovicus Sfortia maximam partem copiarum ad præsidium Mediolani destinasset, Novariamque contendisset, Helvetiisque promisisset illam dare diruendam, & diripiendam, misericordia permotus id facere recusavit. Quare Helvetii indignati cum obsidioni civitatis Novariæ adessent, ubi Johannes Jacobus Triultius cum Gallorum exer-